

tem primorum parentum, non potuit Christus Dominus influere accidentalia ista dona per instrumentalem influxum per actionem hierarchicam illuminandi, quia hæc exigunt existentiam humanitatis sic influentis, sicut etiam gratia antiquorum patrum non fuit collata physice instrumentaliter ab humanitate Christi, sed meritorie ex meritis prævisis.

SOLVUNTUR OBJECTA.

XXVI. Ad primum a principio, quod attinet ad auctoritatem D. Thomæ in præsentī articulo tertio respondetur, quod D. Thomas intelligit Christum fuisse caput omnium hominum, quantum ad personas, non quantum ad omnem statum personarum.

XXVII. Sed urget Suarez illud verbum D. Thomæ: « Quod est caput omnium hominum secundum totum tempus mundi: » ergo non solum comprehendit D. Thomas omnes personas, sed omne tempus; ergo et tempus innocentiae pro quo duravit ille status.

XXVIII. Respondetur, quod littera D. Thomæ non debet construi sicut Suarez legit, quod sit: « Caput omnium hominum secundum totum tempus mundi, » ita quod ly secundum afficiat illam universalem omnium hominum, et distribuatur pro omni tempore, sed est construenda, sicut habet D. Thomas, qui dicit: « Sic ergo accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum, » ubi ly secundum totum tempus mundi, non determinat, neque afficit ly omnium hominum, sed ly generaliter accipiendo; ita quod sensus est accipiendo generaliter corpus mysticum Ecclesiae, secundum quod ejus membra non

sunt simul, sed per totum tempus mundi, Christus est caput omnium illorum. Inde tamen non licet inferre; ergo est caput illorum pro omni tempore, et pro omni statu. Et fundatur hoc in ipsa littera, quia dixerat prius S. Thomas, quod corpus Ecclesiae mysticum in hoc differt a corpore naturali: « Quod membra corporis naturalis sunt omnia simul. Membra autem corporis mystici non sunt omnia simul, quia corpus Ecclesiae instituitur ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi, usque ad finem. »

XXIX. Quando ergo subdit sic: « Ergo accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum, » sensus est manifestus, quod accipiendo corpus mysticum, cujus membra constituuntur ex hominibus, qui sunt a principio, Christus est caput omnium hominum, non tamen pro omni tempore.

XXX. Similiter illa particula generaliter secundum totum tempus, non importat distributionem completam pro omni tempore, et pro omni statu in particulari, sed distributionem accommodam quasi in genere, quod ex omni tempore habet aliquos homines pro membris suis, licet non in omni tempore.

XXXI. Minus urgent verba Augustini, qui solum dicit: « Omnes, qui ab initio sæculi fuerunt justī, » quia dicit omnes personæ, non tamen sub omni statu, et tempore intelligendum est, quamvis Suarez recitando ista verba Augustini, quædam intermedia præterit, et prorsus clausulam Augustini truncat; sic enim habet Augustinus: « Corpus capitis illius nos sumus, numquid soli nos, et non etiam illi, qui fuerunt ante nos omnes, qui a principio sæculi fuerunt justī, Christum habent? Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credi-

mus, et in ipsius fide et ipsi sanati sunt, in cujus et nos: » quæ verba Suarez omittit. Nobis autem explicant de quibus loquatur Augustinus, scilicet de omnibus fidelibus sanatis in fide Christi; non ergo in statu innocentiae, vel non prout in statu innocentiae, sed prout in statu sanitatis.

XXXII. Ad locum S. Thomæ ex lectura super caput Joannis, respondetur eodem modo, quod sanctus doctor solum inquit, quod omnes justī, qui fuerunt, sunt et erunt, acceperunt de plenitudine Christi, et etiam omnes Angeli; non tamen dicit, quod pro omni statu, neque explicat, quid acceperint, an gratiam justificantem, vel aliqua dona accidentalia. Et licet subdat, quod plenitudo gratiæ Christi est causa omnium gratiarum in omnibus intellectualibus creaturis, nomine gratiarum sufficienter verificantur gratiæ datæ, quæ proprie vocantur gratiæ supernaturales, non solum gratiæ sanctificans. Et est valde notandum, quod solum dicit S. Thomas: « Quod solum est causa omnium gratiarum per efficientiam. » Loquitur ergo de causalitate, quæ communis est, tam ad gratiam justificantem, quam ad gratiam gratis datam, non autem de causa meritoria. Accommodanda est respectu Angelorum ista efficientia gratiæ Christi solum quoad gratias gratis datas, quia gratiam sanctificantem non potuit Christus conferre Angelis, qui antecesserunt incarnationem, nisi in genere causæ meritoriae, de qua ibi non agit S. Thomas, sed de sola efficientia.

XXXIII. Ad rationem patris Suarez respondetur, quod Adam habuit fidem Christi non ut redemptoris, ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. II, art. VII, sed solum secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ; et talis fides, licet esset de

Christo objective, non tamen erat de Christo meritorie. Sicut etiam Angeli habuerunt fidem de Christo dum essent viatores, ut docet S. Thomas I part. quæst. LXIV, art. I ad quartum, et optime deducit magister Bagnez ibi quæst. LVII, art. III, et tamen non fuerunt justificati per Christum, ut dicemus articulo sequenti.

XXXIV. Negamus ergo simpliciter valere hanc consequentiam: habetur fides de Christo; ergo per Christum, nisi addatur in antecedenti de Christo ut redemptore ejus, qui habet fidem; sic enim importatur in antecedenti, quod talis habens fidem sit indigens, vel recipiens a Christo, et consequenter per Christum, quia sic est Christus causa talis fidei datæ sibi in remedium; non autem si datur sibi in mysterium, ut data est Adamo. Et licet fides Christi in primo parente fuerit Christi ut finis consummantis gloriam, non tamen ut capitis, quia Adamo revelata est auctoritas, non influenza Christi; præterquam quod, ut statim dicemus, bene stat esse fidem, et non caput, et revelari illi unum, et non aliud.

XXXV. Dices: Habuit Adamus fidem Christi ut consummatoris gloriæ; ergo ut superioris sibi, et perficientis, seu auctorizantis eum in gloria; ergo habuit fidem Christi ut capitis, saltem eo modo, quo est caput Angelorum, vel saltem secundum quod aliquid est caput.

XXXVI. Respondetur, quod hoc solum convincit, quod Adamus potuit cognoscere Christum, ut consummatorem gloriæ, futurum aliquo modo caput saltem secundum aliquem modum imperfectum, non influendo gratiam, et gloriam intrinsece, sed perficiendo illam extrinsece. Nos autem loquimur de Christo capite, ut de facto influente in statu innocentiae, licet cognosceretur, ut habiturus aliquas condi-

tiones capitis, ex hoc quod revelabatur, quantum ad rationem perficientis, et cōsummantis gloriam. Sicut Angeli non ordinabantur ad Christum, ut caput ex vi suæ justificationis, licet cognoscerent se destinari in ministros Christi, ratione cujus respiciebant ipsum, ut consummatorem, et perfectorem gloriæ accidentalis, ratione cujus est illorum caput.

XXXVII. Instabis : Adamus pro illo statu habuit fidem Christi, et in Christum, ergo et spem in Christum; ergo sperabat ab illo gloriam essentialem, quæ est objectum essentialis spei. Antecedens probatur, quia eandem fidem habuit Adamus post lapsum, atque ante lapsum; ergo antea.

XXXVIII. Respondetur, quod ante lapsum non habuit fidem in Christum ut redemptorem, sicut habuit post lapsum : in hoc ergo crevit fides Adami, et magis explicata fuit post peccatum, cognoscendo ipsum ut liberatorem a peccato, ut dicit D. Thomas 2-2, quæst. 11, artic. vii : unde simpliciter negatur consequentia, quia cum spes respiciat ipsam beatitudinem essentialis, ut objectum et auxilium, seu medium, quo debet obtineri, tunc autem in statu innocentiae non apprehendebatur gloria essentialis, ut obtinenda per Christum, sed solum ut consummanda; consequenter non ferebatur spes theologica in Christum, ut in medium, et viam obtinendi gloriam.

XXXIX. Ad secundam rationem, quam fecimus pro eadem sententia, bene ibi responsum est, quod gratia pro illo statu, non ordinabatur efficaciter ad gloriam, quæ pro illo statu consequenda non erat; et licet esset ex providentia Dei speciali, quatenus illa providentia dandi gratiam supernaturalis erat, non tamen dicebatur specialis providen-

tia, quantum ad efficaciam transmittendi in finem; quod tamen requiritur ut sit prædestinatio.

XL. Dupliciter enim dicitur aliqua providentia specialis; vel ratione effectus, quem providet, quia specialis est, scilicet, effectus supernaturalis; vel ratione modi, quia specialiter, id est, efficaciter deducit ad finem. Et primum non sufficit ad prædestinationem, (licet sufficiat ad distinguendam providentiam Dei a providentia ordinis naturalis, quæ generalis dicitur) sed requiritur secundum, quod efficaciter transmitteret in finem, et ideo providentia, qua data est gratia Adamo in statu innocentiae comparatione ad providentiam naturalem, dicitur specialis; comparatione autem ad prædestinationem, dicitur generalis in ordine supernaturali.

XLI. Ad replicam contra hanc solutionem, omissa opinione Vazquez 1 part. quæstione xciii, quod in prædestinato gratia amissa, et postea recuperata non est effectus prædestinationis, ut primo collata, sed ut reparata, dicimus esse latam differentiam inter gratiam datam prædestinato, quæ amittenda est, et reparanda, et inter gratiam datam Adamo in statu innocentiae, quæ reparanda erat post lapsum, quod in aliis ipsa gratia ut primo collata præsupponit, et datur ex efficaci intentione perducendi ad gloriam per talia media, scilicet per gratiam amittendam, et reparandam, prædestinatur enim non ut innocens, sed ut poenitens futurus.

XLII. Cæterum Adamo pro statu innocentiae non est collata gratia ex efficaci intentione perducendi ad gloriam sub illo statu, sed amittendus erat status ille, et ex illius amissione pendebat decretum veniendi Christum, in quo omnes prædestinandi erant, et consequenter amissio illius gratiæ, et a fortiori collatio

prima illius, non præsupponebat, sed præcedebat prædestinationem, quæ facienda erat in Christo, et per Christum; in nobis autem omnis collatio gratiæ, et permissionis ejus, et reparatio illius prædestinationem supponunt, et ex illa descendunt.

XLIII. Ex quo etiam cessat objectio, quam urget magister Cabrera hic disputatione unica, numero xvii, quia modo correspondet Adamo aliquis gradus gloriæ, non solum pro gratia poenitentiae, sed etiam pro operibus factis pro statu innocentiae, ut distincta a gratia poenitentiae, si quidem illa merita revixerunt. Ergo illa gratia innocentiae, ut distincta a gratia poenitentiae pertinuit ad prædestinationem, et consecuta est gloriam.

XLIV. Sed respondetur verum esse, quod illa gratia materialiter, et entitative sumpta distinctam obtinuit gloriam (de hoc enim non disputamus modo) neque disputamus si obtinuit distinctam gloriam ut reparatam; neque est difficultas si obtinuit distinctam gloriam pro gratia innocentiae, vel poenitentiae, sed sub quo statu illam obtinuit; per reviviscientiam enim meritorum, licet gratia amissa redeat, redit tamen sub alio statu, scilicet ut reparata, non ut innocens, quia innocentia nunquam reviviscit.

XLV. Ad confirmationem respondetur imprimis negando antecedens; et secundo, illo concessio, negando consequentiam. Ad antecedens ergo dico, quod aliud est Christum esse finem gratiæ, quæ fuit in statu innocentiae, et omnium rerum, quæ in illo statu fuerunt; aliud est quod fuit finis illius status; primum est verum, et secundum falsum. Licet enim Christus fuerit finis omnium rerum, non tamen sub illo priori statu, sed illum præsupposuit lapsum, et destructum, antequam Chri-

stus decerneretur tamquam finis ad illum reparandum.

XLVI. Ille autem ordo fuit prius volitus ex alio fine pertinente ad providentiam Dei generalem; omnia tamen; quæ in illo ordine erant volita a Deo sub fine providentiæ generalis, in secundo ordine fuerunt volita sub fine Christi, et efficaciter subordinata prædestinationi, et in hoc sensu verificatur, quod omnia subiecit Deus sub pedibus Christi, et nihil dimisit non subjectum ei ex parte rerum subjectarum, quasi jam prius facta Christi pedibus subjiciens, non ex parte ipsius status, qui reparatus non est, nec Christo subjectus, sed omnino decidit. Sicut rex subjiciens sibi regnum alterius, non subjicit sibi statum, quem habebat sub alio rege, sed destruit illud, et se constituit caput.

XLVII. Secundo, respondetur ad consequentiam, quod dato quod Christus sit finis gratiæ, non sequitur, quod sit caput, quia caput ultra finalem influentiam petit influxum per modum efficientis, saltem moraliter, aut per modum gubernantis, quem Christus non habuit respectu status innocentiae; habuit tamen respectu omnium, qui ante incarnationem fuerunt justi, quia quamvis merita Christi in intentione se habuerunt ut finis, quia fuerunt aliquid perfectius justificatione hominum, tamen in exercitio prævisa, et de facto meruerunt illam tamquam effectum, et consequenter per modum causæ efficientis, ut latius explicatum est in materia de incarnatione. Vide disputationem vi, articulum primum.

XLVIII. Ad ultimum respondetur, quod in primis Christus non meruit Angelis accidentalia præmia, licet illa tribuat per influxum physicum, quod respectu status innocentiae fieri non potest: vel secundo dato, quod Angelis meruerit ista præmia, est

tamen distincta ratio, quia Angeli, etsi non sint justificati per Christum, sunt tamen ministri redemptionis, dicente Paulo ad Hebræos 1: *Quod omnes sunt administratores Christi missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*: unde pertinet ad Christum tribuere Angelis propter ministerium. At vero Adamus in statu innocentiae, neque erat redemptus, neque minister redemptionis, unde neque ut redempto vitam, neque ut ministro mercedem, neque accidentalia gaudia debuit tribuere.

ARTICULUS III.

Utrum Christus ut homo, ita sit Angelorum caput, quod in eos gratiam, et gloriam influat?

I. Præsupponimus tamquam minus dubitabile, Christum esse caput Angelorum, et inquirimus dubium grave de modo, quo est caput; et quidem hoc præsuppositum communiter recipitur ab scholasticis, licet non ab omnibus; et quia videtur ex locis Scripturæ deduci sanctorum intelligentia, aliqui non solum veritatem ejus adstruunt, sed etiam oppositum censurant, sicut magister Medina, qui existimat temerarium esse negare Christum esse Angelorum caput. Ejus tamen censuram rigidam putat Asturicensis pagina 804, faciliusque asserit se admissurum, quod oppositum sit error, licet ab illis auctoribus materialiter, et ex aliqua ignorantia admissus, quamquam sit temerarium, id est, sine aliquo fundamento a gravibus auctoribus asseratur; existimat tamen oppositam solum esse probabilior sententiam, et absque dubio veram. Alvarez autem disp. xxxix, non solum veram, sed conformem sacris litteris, et Suarez

disput. xxiii, sect. ii, propter quædam testimonia Chrysostomi, et Theophylacti, dicit non esse de fide, sed multo probabiliorem: et idem existimat Pater Vazquez hic disp. xlvi, cap. iii.

II. Nihilominus omnino dicendum existimo, quod qui negaret absolute Christum esse caput Angelorum, excludendo omnem rationem capitis, etiam quæ salvatur per externam tantum gubernationem secundum auctoritatem dominativam in Angelos, omnino esset contrarius Scripturæ, et sensui communi Ecclesiæ. Solum potest esse opinio, an debeat dici caput secundum alias speciales conditiones, scilicet quantum ad influxum interiorem instrumentalem, vel moralem, et secundum quod proprietas capitis requirit, quod sit ejusdem naturæ cum eis. Circa has enim proprietates potest admitti varietas opinionum, quomodo Christus dicendus sit caput Angelorum.

III. Quantum vero ad illam rationem magis communem, quæ constituit rationem capitis saltem secundum exterioriorem gubernationem, et quæ sufficit ut absolute, et sine addito Christus dicatur caput Angelorum, sicut absolute, et sine addito papa dicitur caput Ecclesiæ, nullo modo est admittenda aliqua opinio, sed prorsus esset error id negare. Etenim apertissime Scriptura dicit Christum esse caput omnis Principatus, et Potestatis ad Colos. ii. Et loquitur Apostolus de Christo ut homo est; dicit enim: *Quod in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti, qui est caput omnis Principatus, et Potestatis*. Manifestum est autem, quod plenitudo divinitatis non habitat corporaliter in Christo, secundum divinam naturam, sed secundum humanam; unde, et subdit Apostolus: *In quo, et resurrexistis per fidem operationis*

Dei, qui suscitavit illum a mortuis: resurrectio autem solum convenit Christo, ut homo est. Similiter Ecclesia absolute nominat Christum regem Angelorum, et Dominum, quod sine aliqua capitis dignitate, saltem exterioris gubernationis, intelligi nequit.

IV. Et iterum Angeli dicuntur ministri Christi, etiam ut homo est, Matthæi iv: *Accesserunt Angeli et ministrabant ei*: et ad Hebr. i: *Omnes sunt administratores Spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*: et Matth. xxiv: *Mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna*: ergo si Angeli sunt ministri Christi, et ab eo mittuntur tamquam a Domino, bene, et proprie debet dici illorum caput, saltem eo modo, quo princeps reipublicæ dicitur caput illius. Atque negare ita absolute, quod Christus sit caput Angelorum, sumpto capite in tota sua lata significatione, ut etiam dicitur de capite exteriori gubernante, sine dubio est apertus error, cum hoc sit negare Christum esse superiorem principem, ac Dominum Angelorum, et totius Ecclesiæ triumphantis, quæ ex hominibus, et Angelis constat: unde in illis ad Ephes. i: *Suscitans Christum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cælestibus super omnem Potestatem, et Principatum, et Virtutem, et Denominationem, et omne quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed in futuro*: non tantum voluit Paulus significare exaltationem Christi super omnem angelicam creaturam, ut dicit Vazquez loco citato, sed etiam dominationem, et imperium super Angelos, quod pertinet ad rationem capitis gubernantis.

V. Sic etiam S. Chrysostomus homilia iii in epistolam ad Ephesios quasi contradictoriis verbis Vazquez, sic inquit: « Non utrumque

efficit superiorem, quasi præficiens istis per comparisonem, verum quasi dominum servis ipsum cunctis anteponeus. Ecce ut homini Christo omnis creata virtus, quasi ancilla Domino subjecta est, etc. » ubi Chrysostomus apertissime loquitur non solum de elevatione, et exaltatione Christi super Angelos, sed etiam de dominio, et principatu super eos; atque adeo rationem capitis, quæ pure denotat dominationem, et supremum principatum in Angelos, nullus negat.

VI. Circa modum autem, aut perfectiones alias capitis, quæ pertinent ad similitudinem naturæ cum membris, invenitur aliquando, quod etiam aliqui ex patribus negant, vel saltem non affirmant, Christum ut hominem esse caput Angelorum, scilicet propter dissimilitudinem naturæ, ratione cujus non dicitur caput eorum cum ea speciali ratione, qua dicitur caput hominum. Et sic intelligendus est Chrysostomus homilia i ad Ephesios, et Theophylactus, qui eum sequitur ibidem: et omnino relegandus est pater Vazquez in loco citato, dicens Chrysostomum, et Theophylactum non esse imitandos, quia eorum ratio parum habet momenti; oportet enim sanctorum patrum intelligentiam cum omni reverentia explicare, præsertim cum ex ipso eorum contextu aperte appareat, in quo sensu negent Christum Dominum esse caput, et in quo sensu concedant.

QUOMODO CHRISTUS MERUIT ANGELIS.

VII. Dubium vero est satis controversum inter scholasticos, an Christus Dominus, ita sit Angelorum caput secundum interiorem influxum, ut etiam gratiam, et gloriam essentialem in eos influat. Nam aliqui accidentalem gloriam influere,